

ex precedentibus, villicum curie super litones nullam habere potestatem, nec aliquam exactionem in petitionibus de eis facere, sed tantum de curia sibi commissa persolvere; cetera omnia ut diximus in dispositione custodis constare. Ne forte ergo alicui successori nostro super hoc pio facto malignandi relinquetur occasio, vel tempore aliquo fraudulentio componi possit exceptio, presentem inde paginam conscribi et sigilli nostri impressione communiri fecimus, monentes sub attestatione divini nominis, ut hec nostra recognitio et constitutio rata et inconvulsa per omnia tempora permaneat. Testes hii sunt: Henricus Prior. Albertus Prepositus. Meinhardus noster Camerarius. Metfridus Camerarius fratrum et tota Congregatio Ecclesie. De laicis Henricus de Lutmarsen. Erinbertus. Item Erinbertus. Conradus. Holvieus. Wernerus frater ejus. Conradus alii plures. Actum Corbeje Anno incarnationis Domini MCLXXVI. Indictione VIII sexto Kalendas Junii. Anno ejus XVI, Domini Conradi Abbatis,

### B e i l a g e 42.

#### De Servitio Litonum.

Universis Christi fidelibus, presentia visuris seu audituris. Nos Hermannus Abbas. Prior. Prepositus totusque conventus ecclesie Corbeiensis salutem, et cognoscere rei scripte veritatem. Noveritis quod ex antiquo jure, et approbata consuetudine, hoe apud nos, et circa scultetos nostros ac eorum villicationibus adherentes, scilicet litones, qui Howelinge vulgariter nuncupantur, debet inviolabiliter observari, quod ipse sculteti, quicunque fuerint, nobis et ecclesie nostre, ad solutionem consuete pensionis fideliter tenebuntur, deinde si idem litones nobis, et dictis scultetis, ex parte nostra, occasione agrorum, quos colunt, ad *honestae et consueta servitia* obligati videntur, ita sane, quod non violentia servitutis importune opprimantur, sed semel nobis et eis, estatis, et secundo hyemalis tempore, cum familia, qua ad ipsos venerimus, ad recipiendum et procurandum nos utique tenebuntur, ut dicti sculteti ad solutionem pensionis uberioris sufficient, a prefatis litonibus curruum et aratrorum suorum servitia poterunt interdum requirere moderata, et nequaquam a nobis, et ecclesia nostra ipsos vendere poterunt, seu alienare, nec eorum servitutem ad libitum suum abuti, vel suos quomodolibet proprios arbitrari. In cuius rei testimonium, robur perpetuum, et munimentum, presens instrumentum conscribi fecimus, et nostro sigillo ex certa nostra conscientia, firmiter jussimus roborari. Datum Anno Domini MCCXXV, ipso die Valentini Martyris,